V B J C
C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
21491 kat.komp.
III | Mag. St. Dr. | P

de … t.
… generalis.

Bieżanowski Stanislai Jos. Felix de marinis in patriam continentem transitus Reverendiss. olim Patris F. Joan. Bapt. de Marinis.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 741.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002762

FELIX
DE MARINIS
In Patriæ Continentem
transitus,
REVERENDISSIMI OLIM PATRIS,
F. IOANNIS BAPTISTÆ
De Marinis,
totius celeberrimi Ordinis Prædicatorum,
Quinquagesimi Septimi
MAGISTRI GENERALIS,
Viri,
ob admirabilem integritatem, perpetuum innocentis vitæ candorem, *insignem eruditionis, prudentiæ, paternięq; regiminis præstantiam,* longè desideratissimi,
dum ei,
Florentissimus PP. Prædicatorum, Conuentus Cracouiensis, ad Ædem SANCTISSIMÆ TRINITATIS, Lugubri exequiarum ritu, communibusq; lacrymis parentaret;

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEŻANOWSKI, Leopol: in Alma Vniuersitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordinario Poeseos Professore,
dolenti calamo & obsequio,
Advmbratus.

Anno Salutis 1669 die 19. Iunij.

CRACOVIÆ,
Apud Hæredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S.R.M. Typogr.*

BIBLIOTH. UNIV. IAGELLONICAE
21.491 III
31.

FELIX
DE MARINIS
in
Patriæ Continentem
transitus.

Soluere ex portu, commune nauigantium alpha;
fugacissima in liquido elemento principia, cùm sæpius inchoet;
ad continentem vsq; continuat raro.
DISCIPLINA HÆC,
Sola omnium, perpetua in tabulis elementa tradens;
nunquam ita mentes perficit;
vt quaternis à morte digitis, vitam in ratibus distare cogitent.
Patriam certè semper fugiens;
ciues quidem accipit; sed circumfert inquilinos;
qui cùm aras, focosq; domi reliquerint; ad fumum Ithacæ foris suspirant.
ita sunt, quos perpetuò tellus exsudet;
vt semper in mari sint;
ne frustrà, cum antiquis, aquas maris, sudorem terræ perpetuum putes.
Sed eheu terrarum transfugæ, cogitate?
anchoras nauium, vitæ anchoram non sistere.
nisi fortè, securiùs in lubrico viuitur; quod Palinuros etiam decipit.
non vbique Arion Delphinas Cytharâ mulcet;
vt præceps Neptuno victima non cadat;
nec vbiq; tam molli nauigio, in continentem venimus;
quibus angusta semper patria est.
QVANTO FELICIVS ille?
qui, vt aliquando tandem, in continentem transiret, de MARINIS;

Semper

Semper in vita continentissimus,
etiam cum in altùm duxit, nauigauit in portu;
R E V E R E N D I S S I M V S *Olim* P A T E R,
F. IOANNES BAPTISTA de MARINIS,
totius celeberrimi Prædicatorum Ordinis,
MAGISTER GENERALIS.
excepêre nascentem vndæ gentilitiæ, sed non fluctus;
iactari quippè non potuit; qui, vt vetusti iactantiam sanguinis fugeret;
exquò vitæ explicuit vela, animum composuit.
Splendorem natalium Romæ, de Marinis,
ad lucidam Dominici Pharum transferens;
portum in ea salutis, non tenuit tantùm, sed ostendit;
miro sanè artificio, cùm à terra longissimè distaret; vir cælestis animi;
in portu tamen perpetuò versatus;
Continentem, vbi non inuenit, fecit;
cùm animum vbiq; contineret.
eadem nobilissimi sanguinis prærogatiua;
quæ illi, cum celsissimi nominis & animi præsule,
Illustris. D. Dominico *de* Marinis,
Archiepiscopo Auenionensi,
Fratre Germano superstite communis;
ad sacram quoq; cum pertinet,
INNOCENTII X. Pontif: Maximi,
Columbam;
mitissimi animi vir docuit;
quomodo sub hac specie gentilitias eius,
Spiritus Domini ferebatur super aquas;
Spiritus certè mansuetudinis & lenitatis;
vt in eo, de Marinis nihil, præter halcijonia cogites.
quod si pro eo, de Marinis quoq; diuitijs, iustè contendis;
augustas in Ivstiniana Domo, *regum olim purpuras,*
Materni sanguinis decora; Sacrosq; Purpuratorũ Patrum murices, iunge.
tincta his, ad maiestatem vsq; coloribus Roma,
in orbis facie, nunquam erubuit.
quinimò vt confunderet impudentes;
geminas ex ijs, inter Tridenti Patres, fulsisse voluit Tiaras:

vbi, A2 VIN-

VINCENTIVS quoq; IVSTINIANVS,
Ordinis Prædicatorum MAGISTER GENERALIS;
pro filijs lucis, tenebrarum filios, orbisq; incendiariam hæresim, inextincta Dominici face adussit.
Quid hîc supercilium tollis?
Vbi placidæ de Marinis vndæ, tanta sæculorũ, honorũq; cõgerie, nõ tollũtur.
Omnia flumina currunt in mare, & mare non redundat;
Illud nimirum,
quod Vastitatis suæ conscium, intùs habet, quò se recipiat.
Soli quippè breues alueoli,
Facilè tument, momentò dissipantur.
ingentibus aquis magnitudo sua, quam constans, tam componi facilis;
quas etiam guttâ olei sedaueris.
Grandia hæc, maior titulis omnibus;
maximus ipse Ordinis titulus, & apex,
IOANNES BAPTISTA de MARINIS;
vt in cortice mundi non ferret;
in Religionis nucleum transtulit.
Religiosus magni Dominici Asceta,
Arcanum suum, profundæ humilitatis, & obseruantiæ, Sigillo muniens;
cùm omnia seueriori disciplinâ obstruxisset;
Virtutis & sapientiæ Rimam, quâ in orbem prodiret, non effugit.
secretum eius hæc, erumpentibus radijs, dùm indicat;
Sacræ Congregationis Indicis Secretarium facit.
Valete iam,
Secreti religiosi, Arcanæ dulcesq; feriæ;
Imo verò saluete, etiam in alto curarum, portus animæ, secessusq; perpetui.
Quatuor lustra hîc, & ampliùs,
Summâ fide, & indefesso labore exacta, non profecêre;
vt cùm valida negotiorum vi incumbunt,
animi sigillum frangerent;
non quod lateret in eo aliquid; quod hiatus mentium facit,
absorbetq; cùm minimè fluctuat;
Sed quod posuit fines suos pacem, latuitq; libentiùs;

vt

vt ſecuriùs prodiret.

Et prodijt certè,

Vir ab aureo æuo, in æui ſui gloriam, ſubſequentis exemplum;
cùm aureâ in orbem portâ, Iubilei gratia prodijſſet;
Anno Salutis 1650, die 4. Iunij,
MAGISTER GENERALIS, Canonica electione factus.
Transferri montes, in cor maris putaſſes;
cùm tam ſublimis, tam inconcuſſa, inter reciprocos ſummi regiminis æſtus,
Virtus & ſapientia conſtitiſſet:
cui quicquid incubuit, nouâ ſemper magnitudine animi, cum ſuſtentatur;
multiplicati ſunt montes, in fortitudine eius;
Sed tam ſine ſenſu fluctuq;;
vt qui naſci oleas, in Erythræo mari contendunt;
hùc fortè animum aduerterint.
nullibi quippè prouentus earum vberior;
quàm inter placidiſsimas de MARINIS vndas;
quæ nunquã ſonuerunt, vt turbarẽtur; cùm oleo tranquilliùs sẽper fluxerint.

adeò quidem,

vt de ijs, venuſtiſſima Prædicatorum Ordinis facies dixerit;
nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare:
vitreum illud, ſimileq; Cryſtallo; in quo ſpeculum Ordini fecit,
puritas viri, & innocentia vitæ.
Hùc omnium oculi, ad terſiſſimã oculi religioſi pupillã directi;
Summam Iudicij vim, prudentiam, magnitudinemq; animi,
Candorem, manſuetudinem, Charitatem,
nisi admirati dilexiſſent;
in pupilla cordis, ad trabẽ, non feſtucam damnatos credidiſſes.
Dulcis aquæ copia, in marinis quidem rarior;
ſub dulciſsimo tamen de MARINIS PATRE,
æquè illimi, ac perenni, nectaris & ambroſiæ copiâ abundauit;
vt annoſam regiminis eius, 19. annorum Præfecturam;
cùm ob ſuauitatis paternæ condimenta, non ſentitur;
breue, ſed carum, Myrmecidis opus fuiſſe cogites;
quod ſub vnius apiculæ, onuſtas mellificio pennas,

 cum

cum toto Ordinis nauigio venit.

Quis hîc miretur?

Rosea illi respondisse secula? qui mellea condidit;

deductamque ex orbe Nouo,

Orbem vniuersum impleuisse, Peruanæ Rosæ suaueolentiam;

Cùm is eam immensis laboribus procuraret;

Qui ipse Christi bonus odor,

coronauit omnia rosis; quibus spinas ademerat;

affabilitatis & charitatis dulcedine, mirus animorum possessor, etiã victor.

Cætera quippè mansuetissimus,

Vnum hoc violentiæ genus perpetuò retinuit;

quo in amores omnium, & delicias irrumpens;

etiam quæ non possedit pectora, cepit.

ipse aperto vbiuis pectore, vt viscera charitatis panderet;

consultus oracula pronuntiaret;

Qualia nimirum,

sanctæ & vniuersalis Inquisitionis Romanæ,

Consultorem sapientissimum decuêre.

Qui dum,

sapientiæ responsa, & exempla vitæ, pariter format;

ad responsum in se mortis, non territus;

mortalem lectulum,

ceu placidam, inter hilares Etesias cymbam, securus conscendit.

sed quænam in sartagine dolorum malacia?

Hîc certè maxima;

in qua dolorum adhuc sitiens, cùm non quieuisset;

poenosam dolorum Christi hebdomaden,

in suas etiam prouocans pœnas;

ad quos progredi non poterat, reptauit ad dolores;

Cùm in Cœna Domini,

numerosissimæ Fratrum coronæ, pedes extremùm lauans;

inter amorosi operis anhelitus, animam si non efflauit;

certè vt efflaret, anhelauit.

facile

fulcire eam floribus, ſtipareq́ malis languentem, non oportuit;
quæ floridum, inter rigentes acutiſſimi morbi ſpinas, lectulum,
Virtute maſcula dum ſternit; conſtanti obſeruantia,
medicis ſuadentibus reſiſtens;
Leniorem ſtragulam non admiſit.
Sed adeſt ſexta Maj,
quæ doloribus, mortisq́ fluctibus, inundatum;
in Continentem, ſine naufragio transferet de marinis.
Ecce portus tuus, ô anima!
in quem,
cæleſti viatico munita, gratijsq́ Apoſtolicis inundata;
quia fortis, vt mors dilectio;
inter oſcula, & amplexus Fratrum; amorisq́ tui ad IESVM *ſuſpiria;*
ad eum, qui te, vt dicebas, quærens ſedit laſſus;
non laſſa patiendo, ſed deſiderio languens, tranſijſti;
nimirùm in patriam de longè,
non peregrina, ſed ciuis & domeſtica;
ad eorum intimiores amplexus, familiariùs pertinens;
quorum ſacros in terris procuraſti honores.
Felicis tranſitùs, celeuſma tuum,
Cygnea in terris voce,
SIDVS OLORVM *Olorq́ Pontificum,*
SS. D. N. CLEMENS Nonus.
ipſa nimirùm clementiæ medulla tenerrima,
cùm indoluit, cecinit.
Tanti Patris amiſsio, inquiens, Vniuerſali Eccleſiæ haud leue,
detrimentum eſt.
Ipſi Prædicatorum Ordini, magnum parentem adimit:
Nobis verò Perſonam aufert, in paucis ſingulariter charã,
& ex meritò prædilectam.
Oraculum hoc,
Elogiorum omnium ſummus apex;
ſed non lachrymarum, & deſideriorum periodus eſt.
quæ ſi cor tuum, ô Eccleſiæ corculum,

 recen-

Florentissime Prædicatorum Ordo,
recentissimi doloris, irritatione lancinant;
Saucij cordis, Vnctio illa, & solatij balsamum sit;
Quod qui,
ex corona mortali, capitis tui cecidit;
coronæ tuæ immortali accesserit insertus,
Pretiosus vnio
de
MARINIS.

BIBLIOTH: UNIV.
JAGELLONICAE

J. XIX. 42.